Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26380
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ei. et iudex tortori, tortor autem mancipet te carceri et reddere debitum totius culpe coga-
ris. Hec itaque dum licet et possumus misericordiam dei precibus nostris imploremus ne forte cum voluimus
non possimus nec dignitati tante gratie inveniamur. In futuro quidem iudicio iudex erit deus, homo
reus, accusator diabolus, sententia iudicis: Discedite a me maledicti in ignem eternum.
Verumque quo hanc mala mortis evadere omnino prevaleas, patet hic purissimus fons David in
ablutionem peccatoris et menstruate in quo loti et purificati superne nive dealbari me-
rentur. Hoc etiam fonte lotus est Petrus qui ter dominum negaverat, quem tertio post confessus pastor eccle-
sie et claviger celi efficitur. Unde hoc fonte Paulus persecutor ecclesie purificatur et vas electionis
ac doctor gentium in fide et veritate perficitur. Hoc aqua fonte mundatus David rex et propheta
quomodo adulter et homicida dum abluitur et regiam dignitatem obtinuit et gratiam prophetie
non amisit. Abluuntur isto fonte Cyprianus magus, Theophilus apostata, Maria Magda-
lena, Maria Egyptiaca, Thais, Pelagia, plurimique eorum consimiles quos cum Christo perpetim
regnare universalis credit ecclesia. Inundatione huius fontis purificatur Raab mere-
trix convincta Israeli. Abluuntur et Ninivite qui ad predicationem Ione in cilicio et cinere pe-
nituere. Quacumque ergo hora peccator ingemuerit, idem hoc fonte se abluerit,
omnia peccata eius tradentur oblivioni. Unde legitur quod quidam patrum quendam sceleratissimum
hominem constipatum turba demonum ecclesiam intrare cum reliquis fidelibus vidit. Qui cum
lectionem de penitentia audivit, ingemuit, flevit ac de reliquo honestam vitam,
de commisso vero satisfactionem spopondit. Post sollempnia vero missarum egressus cum idem
pater iter eius observaret, angelum lucis amplexantem eum conspicit, spiritus vero tenebrarum
tristes et a longe sequentes. Igitur karissimi cum hec omnia et his similia consideratis nichil in his
aliud videmus nisi ante oculos nostros posita spei et penitentie exempla. Dilectissimi, XL est christianorum
carrina, sed vite nostre decima. Annus namque trecentis xl diebus constat, quibus sublatis xl dies
exceptis dominicis decimamus. Lex quoque x preceptis impletur et annus quattuor temporibus vere, esta-
te, autumno, hieme volvitur et hoc quattuor elementis, id est igne, aere, aqua, terra perficitur.
Qui ergo quattuor qualitatibus corporis nostri quattuor anni temporibus contra dei x precepta fecimus, iustis
vitiis quadraginta dierum dies deo satisfaciamus. Sed hoc circa passionem domini quia si compatimur
et conregnabimus. Unde isti xl dies sunt instituti breviter dicemus. Cum dominus Israelem
olim de iugo pharaonis eripuit, xl annis per desertum duxit. Pane celi eis pluit,
aquam de petra produxit. Vestimenta eorum vetustate non sunt attrita, nec sordibus macula-
ta, iumentibus eorum non erat infirmus. In nocte precessit eos angelus in columpna ignis,
in die protexit eos nubes ab estu caloris. Qui defuncto Moysi per Iosue terram re-
missionis sunt introducti. Hec xl annos singulis annis rite decimabis si diem
pro anno dederis iuxta prophetam ad quem dominus loquitur: Diem inquit pro anno dedi tibi.
Quod domine pater misericordiarum qui tempus acceptabile reis indulges, reminiscere mi-
serationum tuarum et quos huc usque toleras ad penitentiam converte. Per Christum
dominum nostrum. Sermo de media quadragesima.